

Die 13 mensis Augusti

Beati Marci ab Aviano, presbyteri

Marcus in oppido Aviano (in Portu Naonis) anno 1631 die 17 mensis Novembris, natus est. Decimum septimum annum agens ingressus est Ordinem Fratrum Minorum Capuccinorum, et viginti quattuor annos natus sacro presbyteratus ordine est insignitus. Septemdecim annos omnino orationi deditus in humilitate et omnibus ignarus religiosam vitam transegit; postea oboedientiae merito ad praedicationis ministerium est vocatus. Europae vias peragravit, a magnis fidelium turbis exauditus in templis et in plateis, qua pertransiit omnes hortans ad fidem, ad exercitium vitae christianae, ad paenitentiam peccatorum nec non ad conversionem. Perpensa vitae sanctimonia gravique eius praestantia, Summus Pontifex, beatus Innocentius XI, missionarium apostolicum nominavit eum et legatum pontificium. Aditus ita patuit illi ad regias mansiones eorum tunc regnantium, iugiter favens communioni et concordiae illo in caliginoso tempore. Vindobonae imperatorem Leopoldum I et familiam imperatoriam peculiari prosecutus est necessitudine. Innumeris itineribus laboribusque apostolatus consumptus, Vindobonae, crucifixi imaginem manibus stringens et apostolica benedictione praemunitus, die 13 mensis Augusti anno 1699 supremum edidit spiritum. Summus Pontifex Ioannes Paulus II die 27 mensis Aprilis anno 2003 inter beatos caelites eum rettulit.

De communi Pastorum - Pro Presbyteris

Ad Officium Lectionis

LECTIO ALTERA

Ex opere *Fiamme del divino Amore*, auctore ipso beato Marco ab Aviano, ex decimo primo colloquio cordis. (*Flammen der göttlichen Liebe*, Kempten 1682, p. 132-134)

Misericordia Dei

Deus meus, qui inter tuos fideles mirabilis es, minime nego quod, si statéra iustitiae innùmera mea delicta perpèndere debéres, haud aliud mihi instàret nisi aeterna caligo et altíssima voràgo. Tu autem, Dòmine, àliud còncipis consilium et misericòrdia tua ita praévalet ut iustam iram tuam in postrémum locum reíciat!

Gloriabor me inimícum tuum exhibuisse, tu autem non tantum omnes culpas meas remisisti, sed tuos inter filios me excepisti, atque tamquam hereditatem promisisti immo parasti mihi Regnum caelòrum. Ecce nímium divínae largitatis donum!, cuius vi anima mea ita gaudii flúmine perfúnditur, ut nihil àliud exprímere possit quam gratum et propénsus animum erga te, Deus meus.

Hos quidem sensus anima mea vult aperíre et omnes res creatas ad imàginem Dei diversímòde hortari ad haec verba elata voce proclamanda: “Deus, dignus esto laudibus, gratiarum actiònibus, amòre et magnificéntia”.

Sed quid hoc ad liberalitatem et ad misericórdiam tuam? Quamvis aetérnitas confinibus circumscribi néqueat, pondus tamen meae oboediéntiae postulabit ut ómnia vitae moménta in laudum grátique animi effusiònes muténtur et saepíssime multiplicéntur, et omnes qui, sicut ego, caeléstem praestolantur aeternitatem, ad pérmanens filiale obséquium solliciténtur, ita ut impossibília possibília fiant et ex

infirmirate fortitúdo hauriatur, unde satiari valeant omnes tibi dilectiónem declarantes gratésque reddéntes.

RESPONSORIUM

Lc 6, 36-38; Mt 5, 7

- R.** Estòte misericórdes, sicut et Pater vester miséricors est; * dimíttite et dimittémini, date et dàbitur vobis.
- V.** Beati misericórdes, quòniam ipsi misericórdiam consequéntur.
- R.** Dimíttite et dimittémini, date et dàbitur vobis.

ORATIO

Deus, misericordiarum Pater, qui Beatum Marcum, presbyterum, egregium conversionis praeconem et communionis apostolum effecisti: tribue nobis ut, eius intercessione et exemplo, pacem, quam Christus nobis donavit, efficaciter colamus. Per Dominum.